



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

X. Bischof Balderam von Brandenburg bestätigt dem Kloster Leitzkau alle Besitzungen und trifft nähere Anordnungen wegen des demselben zuständigen Archidiaconats in der Brandenburger Diöcese, um das ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

X. Bischof Balderam von Brandenburg bestätigt dem Kloster Leitzkau alle Besitzungen und trifft nähere Anordnungen wegen des demselben zuständigen Archidiaconats in der Brandenburger Diöcese, um das Jahr 1187.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Balderamus, Dei gratia Brandenburgensis ecclesiae Episcopus. Ordinatione divina venerabiles et Deo digni predecessores nostri Wiggerus, Wilmarus et Sifridus, Brandeburgensis ecclesiae episcopi, sanctam congregationem religiosorum fratrum sub regula beati augustini et institutione reverendissimi Domini Norberti Magdeburgensis Archiepiscopi in monte beatae Mariae Liezeke ad servitium dei adunatam tempore nostrae mortalitatis per nos in via dei dirigendam nobis quasi hereditaria successione reliquerunt. Nos itaque eorum devotioni pro parvitate nostra Domino annuente subservientes praefatae congregationi omnimodum affectum nostrum inclinavimus et ut in eterna quiete deo vacent exteriorem inquietudinem ab eis quantum in nobis est amovere dignum duximus. Inde est quod predia et possessiones, quas predecessores nostri aliique quilibet fideles ecclesiae beatae Mariae in monte Liezeke divinae remunerationis obtentu contulerunt, auctoritate Dei confirmamus. Locum videlicet ipsum in quo claustrum situm est cum silva contigua, ecclesiam in villa Lietzke cum omnibus suis appenditiis, censum fori et ejusdem fori fundum ac villae veteris omnemque decimationem in eisdem locis degentium tam de bonis domini Gerberti quam ceterorum et tam de vineis quam de agris et pecoribus, fundum quoque vinearum cum decimis earum, villam que dicitur Lodeburgk cum censu et decimis et cum omni servitio, quod Episcopo exinde debebatur, ipsiusque villae ecclesiam cum reliquis praefatae villae appenditiis. Alias etiam villas tres Niendorp, Gowene, Lochowe et ejus ecclesiam cum censu et decimis earumque pertinentiis. Preterea villam, quae Cicerue dicitur cum censu et decimis et suis appenditiis scilicet quadam curia, quae Colebick dicitur et villulam Vzekeftorp, quae in terminis Cicerwe continentur. Duas quoque partes decimae de IV. villis Cidemick, Eckholt, Sylitz, Predele totamque decimam in villa Crufowe, quam scilicet villam jam dicti fratres a marchione Alberto consensu filiorum suorum comparaverunt, mansum unum in villa Slautiz et wozoph ejusdem villae Slautiz, duas etiam partes decimae villarum Clutzow et Britzin cum silva, quae Brudene dicitur et Mofsbruche, quae per manum Episcopi Wilmari in concambio pro Gottowen praefatae ecclesiae datae sunt. Villam quoque Dulgezysz, quae nunc Gloyna vocatur, cum silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarum decursibus cultis et incultis cum tota decima et reliquis suis appendiciis, mansum unum in villa, quae Welle dicitur, solventem octo solidos, VI. mansos in villa Mulinge, quos dominus Gerbertus et uxor ejus piae memoriae Berchta consensu heredum suorum jam dictae ecclesiae contulerunt. Sciendum etiam est, quod fratres ecclesiae ipsius bona quedam praefati Gerberti petitione conjugis suae Berchtae et consilio nobilium et ministerialium nostrorum per concambium de manu nostra susceperunt, curiam videlicet in villa Liezke prope ecclesiam sitam vineam et predium eidem Curiae contiguum cum omnibus suis appendiciis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus et suis omnibus attinentiis, duos quoque mansos et dimidium Zebekere, pro quibus tertiam partem decimae frugum de duabus villis Meterne et Slautiz et wozop de viginti mansis Slautyz nobis versa vice dimiserunt, decimam vero pecorum et altilium de jam dictis villis in usus proprios retinuerunt. Attestamur etiam scripto praesenti, quod memorati fratres curiam quandam villae Twergowe contiguam a Domino Wichmanno Magdeburgensi Ar-

chiepiscopo Scartuenfi jure comparaverunt, cum silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decuribus et omnibus suis attinentiis. Praeterea confirmamus eidem ecclesiae beatae Mariae in monte Liezeke parrochiales ecclesias illi pertinentes cum villis, quae jure Christianitatis sacerdotibus suis terciam partem decimae persolvere debent, quarum haec sunt nomina: Parochia Liezeke cum villis attinentibus Muscove, Zebekere, et duabus villis, quae uno nomine Kokeburne nominantur, Slautiz quoque et Meterne a quibuscunque colonis inhabitentur eidem ecclesiae tertiam partem decimae tam de vineis quam de agris persolvent, ecclesiam quoque Cidemick cum tertia parte decimae trium villarum scilicet Cidemick, Ghinove, Pameliz et reliquis suis attinentiis, ecclesia Lochove ad quam pertinet villa Quabyz licet ibi ecclesia aedificari permissa sit, Wineri quoque et Verenzib, Tuchouele. Sciendum quoque est, quod praepositus ecclesiarum et Archidiaconatum tenet et vicem Episcopi gerit in omnibus ecclesiis, quae infra Albiam et ylam continentur ab ortu ipsius ylae usque ad terminum ejus, ab ortu vero ylae sursum deficientibus terminis per subscriptos Burchwardos eundem Archidiaconatum determinantes praesenti scripto communimus totum videlicet Burchwardum Louburg praeter duas villas Lubas, Zojas, quas yla excludit, Burchwardum quoque Wiefenburgk et circa Albiam Cossiewicz, Dobin, Wittenberch, Zane, Alstermunde cum omnibus ecclesiis suis infra hos terminos constitutis. Hoc quoque operae pretium visum est huic paginae inferere, quod in electione episcopi post praepositum Brandenburgensem, qui primam in electione vocem habet, secundam praepositus in monte Liezeke habeat, deinde utriusque ecclesiae Canonici libere eligant, sicut justitia dictante mos obtinuit omnium cathedralium ecclesiarum. Plebani vero sacerdotes rationabili et justae eorum electioni debitum assensum exhibeant. Sicut etiam ante tempora nostra statutum fuit sic et nos Deo auctore statuimus ut si peccatis exigentibus sive paganorum incurfu sive quocunque casu Brandenburgensis ecclesia desolata fuerit, praerogativa electionis cum administratione archidiaconatus et cum aliis, si qua sunt, ad ecclesiam Beatae Mariae in monte Liezke transeant, quousque praefata Brandenburgensis ecclesia restauretur et sic per omnia pristinam suam recipiat dignitatem. Sacerdotum in eodem archidiaconatu decedentium equitaturam optimam, mantellum, pellicium, superpellicium juxta consuetudinem Magdeburgensis ecclesiae et suffraganeorum ecclesiarum praedicto archidiacono remota omni occasione dari praecipimus. Si quis vero fidelium de episcopatu nostro sive undecunque locum sepulturae apud saepe dictam ecclesiam expetierit, nulla ecclesiastica saecularisve persona id inhibere praesumat. Monachi etiam in episcopatu nostro degentes, ad quos cura animarum non spectat confessiones audire, poenitentes absolvere, mortuos sepelire sine consensu archidiaconi et sacerdotum quibus cura commissa est omnino prohibemus. Super haec omnia statuimus, ut nullus advocatus praefatae ecclesiae fratres aut colonos infestare aut res eorum auferre praesumat, secundum jura a Marchione Alberto et filio ipsius Ottone praescripta, in quarumlibet executione causarum memoratae ecclesiae defensionis spe remunerationis aeternae deserviat. Et ut haec omnia rata perpetuo et inconvulsa permaneant autoritate Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli, Domini quoque Papae et nostra cuncta, quae huic paginae inscripta sunt, sub anathemate confirmamus ipsamque paginam signaculo sigilli nostri signamus.

Hujus facti nostri testes sunt Wigmannus Magdeburgensis Archiepiscopus, Everhardus Merseburgensis, Bertoldus Cicensis Episcopus, Mauritius Misnensis Episcopus, Hubertus Havelbergensis Episcopus, Rucherus praepositus majonis ecclesiae, Vlricus praepositus beatae Mariae, Theodericus praepositus S. Nicolai,

Henricus prepositus sancti Sebastiani, Gunterus prepositus de gratia Dei, Henricus prepositus de Brandeborch, Robertus sacerdos, Daniel sacerdos, Baldwinus sacerdos, Thietmarus sacerdos, Eilmarus sacerdos, Gerardus sacerdos, Vlricus sacerdos, Simon sacerdos, Volpertus sacerdos, Bernardus Dux Saxonie, Otto Marchio de Brandeburch, Henricus comes de Gardenleue, Albertus Comes, Walterus de Arnestein, Syfridus de Thorneburch, Badericus frater ejus, Conradus Advocatus, Richardus, Henricus, Gumpertus, Iohannes de Plote, Hermannus de Plozceke, Fridericus prefectus, Hermannus et filius ejus, Gerardus de Burne, Conradus de Schulenburg, Otto de Vrsleve.

Auscultata est presens copia per me Arnoldum Krampzo, Clericum civitatis Halberstadensis publicum sacra imperiali autoritate Notarium, et concordat cum suo originali sigillato, quod attestor manu propria.

Aus einer Copie des 16. Jahrs. im Brandenburger Domarchiv.

XI. Paps Clement III. bestätigt dem Kloster Letzka seine Besitzungen und Rechte,  
am 20. Februar 1189.

Clemens, Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis praeposito S. Mariae in Monte Liezeke ejusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens postulatur a nobis quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere et juxta petentium voluntatem consentaneam rationi, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus et praefatam ecclesiam B. Mariae, in qua divino estis obsequio, mancipati sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus, Inprimis siquidem statuentes ut ordo Canonicus secundum Deum et B. Augustini regulam atque institutionem bone memoriae Norberti quondam Magdeburgensis Archiepiscopi apud vos in perpetuum custodiatur. Preterea quascunque possessiones quecunque bona eadem ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo claustrum ipsum situm est cum silva contigua, ecclesiam in villa Letzka cum omnibus pertinentiis suis, censum fori et ejusdem fori fundum ac ville veteris omnemque decimationem in eisdem locis degentium tam de bonis nobilis viri Gerberti quam ceterorum et tam de vineis quam de agris et pecoribus, fundum quoque vinearum cum decimis earum, villam que dicitur Lodeburg cum censu et decimis et cum omni servitio quod exinde Episcopo debebatur ipsiusque ville ecclesiam cum reliquis praefatae villae appendiciis, alias etiam villas tres Niendorp, Gowene, Lochove et ejus ecclesiam cum censu et decimis earumque pertinentiis. Preterea villam que Cicerue dicitur cum censu et decimis et suis appendiciis scilicet quadam curia que Colibick dicitur et villula Uzekestorp que in terminis Cicerue continentur, duas quoque partes decime de quatuor villis Cidemick, Echolt, Silitz, Predele, totamque decimam in villa Cruffowe, quam scilicet villam jam dicti fratres a Marchione Alberto consensu filiorum suorum comparaverunt. Mansum unum in villa Slautitz et Wozop ejusdem villae, duas etiam partes decime villarum Clutzow et Britzin cum silva que Bru-